



St. Lk. 10.11.

W. Kr.

7 A

24

DISSERTATIO CIRCULARIS  
EX IURE NATURÆ, DIVINO ET ECCLESIASTICO

DE

OFFICIO PRINCIPIS  
CIRCA

RELIGIONEM  
ET SALUTEM ÆTERNAM  
SUBDITORUM,

PRÆSIDE

IOH. IACOBO MOSER,

S. Regiæ Majestatis Porusicae Consiliario intimo,

Academiæ Directore & Professore Iuris primario

die 31. Maii

in Auditorio JCtorum

defendenda

MICHAELE CHRISTIANO BARNWASSER,  
Bütovia Pomerano.

---

FRANCOFURTI AD VIADRUM,

Typis PHILIPPI SCHWARTZII, Acad. Reg. Typ.

M DCC XXXVIII.

DISSESSATIO: DE OFFICIO PRINCIPIS

§. I.

Monita  
prelimina-  
ria.



hema pro materia Dissertationis periodica à nobis electum est fori mixti, imo, ut verum fateamur, maxima ex parte Theologicum, cum Magnates de huius generis actionibus non nisi Deo rationem soleant reddere; quia vero idem Thema & à Scriptoribus Iuris Naturæ & à Scriptoribus Iuris Ecclesiastici inter alia Imperantium Officia pertractari solet, nobis quoque ex Cathedra Iuridica verba de hac materia facere fas esse arbitramur. Monemus autem in limine, nihil nobis rei esse neque cum Sententiaz, quod nulla Imperantibus cura incumbat circa Religionem & Salutem æternam Subditorum, præcipui five Autoris five Fautoris Illustris, neque cum eorum, qui istum sequuntur, personis, quæ amicæ nobis fuerunt, sunt & erunt semper; in ipsis vero dogmatis veritatem atque fundamentum modeste inquirendi licentiam ipse nobis labens concessurus esset, si viveret adhuc, dictus Vir Illustris, & si fas fuit quibusdam Scriptoribus nostri temporis, ab omnibus omnium Religionum & Æstatum hominibus dissentire, nobis quoque fas esse debet, communem sententiam tueri. Denique nostro iudicio facile hic carere poteramus Iure Naturæ, ubi & de universali Praxi uniformi & de mente Divina constat resp. ex revelatione, ne tamen quis existimet, ac si tanti momenti essent, quæ ex dicto Iure proferuntur, placet, eius contrarium ostendere. Cum vero paucis admodum paginis includamus, missa prolixiori Sententiaz nostræ deductione, mox ad Dissidentium argumenta nos convertimus, monstratur, ruinoso ea inniti fundamento, five speches Ius Naturæ atque Divinum revelatum, five Praxin Principum Evangelicorum æque ac Catholicorum.

§. 2. Qui ergo nullam Principi curam Religionis & salutis externæ subditorum incumbere statuunt, ita ratiocinantur. Off. Homines, ut ad veram felicitatem & præsentis & future vitæ perveniant, indigere Doctore atque Principe: Doctorem profitorum, scopo habere felicitatem tam alterius, quam huius vitæ, & quidem

CIRCA RELIGIONEM ETC. SUBDITORUM.

3

quidem quoad hanc præcipue internam, quæ consistat in possessione quietis animæ adeoque intendere eum sapientiæ amorem & obsequium cum ratiocinio: Media eius esse persuasions, ratiocina, adhortationes, consilium, exemplum proprium &c. omne vero id, quod vel parum accedat sive ad pœnam, sive ad vim externam, longe abesse à Doctore &c. &c.

§. 3. Quantum vero ad Principem, distinguendum esse aliunt Dissidentes inter Principem qua talem & inter Principem, qua Hominem & qua Christianum; duobus modis posterioribus consideratum obligari eum æque, ac alios Homines atque Christianos, ut alii bono exemplo præbeat eaque amoris officia impleat, per quæ alii reddantur meliores; qua Principem vero plane ipsis non incumbere neque internam neque æternam Subditorum felicitatem, sed de externa solum huius vitæ felicitate eum esse sollicitum & in primis cavere, ne illa turberetur.

*Et Principis, quatuor  
litis.*

§. 4. Probatio huius theos ita adornatur: 1. Cum Deus permiserit, ut homines Respublicas formarent & Imperantes sibi constituerent, voluisse utique simul, ut Principes tantum salutem ac felicitatem populi externam, tanquam finem & scopum, respicerent. 2. Populum ipsum in transferendo dominio haud alium intendisse finem, ex natura humana facile colligi.

*Probatio  
ex origine  
Imperia-  
rum.*

§. 5. Pergunt Dissidentes: Imperantem intendere timorem & obedientiam sine ratiocinio, sive, officium eius confitente in coactione pœnali vel disciplinari; media vero, quæ ipsis ad hoc obtinendum suppetant, esse partim Leges, partim pœnas, non autem ratiocinia.

*Et medie-  
corum.*

§. 6. Ex hisce præmissis colligunt: Cum officia Doctoris atque Principis differant & respectu finis & respectu medio- rum, hinc recte colligi, quod nec Doctor simul esse posit Princeps, nec Princeps simul Doctor.

*Doctor &  
Princeps  
differunt.*

§. 7. Addunt: Cum pœnis ac legibus tantum Princeps suos subditos cogat & haud ratiocinetur, actus saltet voluntatis, non intellectus, imperio Principis esse subiectos: Nam intellectum nullas pati pœnas, nec earum esse capacem, ignorare imperio Leges, respuere coactionem, sed ratiocinio, persuasionibus, subiaceant rationibus; palpabilibus in viam debere reduci.

*Quanam  
actiones  
Principis  
subiectos?  
sabiaceant?*

§. 8.

DISSERTATIO: DE OFFICIO PRINCIPIS

*Applicatio ad Religio.* §. 8. Propius vero theses suas ad officia Principis circa Religionem ita applicant, Religione intendi felicitatem alterem, quae est rius vitæ atque intellectu percipi id, quod ad ipsam conser-  
vere inelle- quendam sit necessarium. Sicuti vero unicuique competat  
tus, facultas eligendi, quo modo quave professione sustentatio-  
nem huius vitæ sibi parare suamque hanc terrenam felicita-  
tē esse debet libera, tem promovere queat; ita multo magis cuivis eandem quo-  
que facultatem eligendi media ad æternam felicitatem con-  
sequendam relicta esse debere, cum unusquisque de se ipso  
rationes reddere teneat.

*Et medio* §. 9. Urgent porro: Ipsa media adipiscendi felicitatem  
rum Princi- veram consistere in eo, partim, ut virtutibus litemus, affectus-  
pi compa- que, quantum permittat natura humana, supprimamus, ac iis  
tentiam non resistamus, partim, ut sequamur id, quod quoad credenda &  
sapax est. agenda S. Scriptura ineulcat. Utrumque nec poenis, nec co-  
actione externa obtineri: Non poenis, quia his nemo redda-  
tur sapientior; non coactione externa, propterea, quod S.  
Scriptura omnibus data ac revelata sit, ita, ut quilibet ex ipsa,  
quid agendum, quidve omitendum sit, discere atque com-  
prehendere possit.

*Consecutaria* §. 10. Denique (contrahenda enim nobis sunt vela,) ob-  
*oppoſita* iiciunt, quod religio, si subiecta esset potestati Principis, à  
*Sententia.* mero casu fortuito dependeret, quam Princeps prosteretur,  
ratio atque revelatio frustranea forent, neque inique egissent.

*Transficio.* Imperatores Ethnici, Christianorum persecutores &c. Hac-  
nisi fallimur, summa est ratiociniorum, quibus utuntur, qui à  
nobis dissentunt, quorumque iam à nobis examen est fusi-  
piendum, ita tamen, ut ea prætermittamus, quæ moneta  
essent circa ideam Doctoris ciudemque scopi atque medio-  
rum, eti neque pauca neque leves ibi se nobis offerant ra-  
tiones dubitandi de veritate Sententiae hac quoque in parte  
nostræ oppositæ.

*Officia* §. 11. Existimamus autem, mox in limine impingi atque  
*Hominis,* tale fundamentum generale supponi, ex quo non nisi erro-  
& Christiani nex conclusiones possunt consequi, dum scilicet in Principe  
& Principis divelluntur officia Hominis, Christiani atque Principis. Sane  
non sunt & hic valebit effatum Christi: Quia Deus coniunxit, homo ne  
separet

CIRCA RELIGIONEM ETC. SUBDITORUM.

separat, & cum Principem ne concipere quidem in animo li-  
ceat, nisi simul concipias Hominem, neque Principem Chri-  
stianum, nisi quoque Hominem Christianum, officia Hominis,  
Christiani & Principis non equidem erunt confundenda, be-  
ne vero coniungenda, cetero & ipsi Dissentientes in tantum re-  
cte monent, quod, licet in una persona officia Principis & Do-  
ctoris non debeant esse coniuncta, vel potius non debeant  
confundi, nec tamen esse debeant opposita, sed potius sibi in-  
vicem matris porrigitur, tanquam unum eundemque scopum  
præfixum sibi habentia, adeoque si Homo qua talis tenetur,  
promovere aliorum hominum felicitatem, & si Christianus  
tenetur, ipsi hi characteres finisque iis propositus indispensa-  
bilem etiam Principi qua tali (1) necessitatem imponunt,  
tanto magis eum scopum promovendi, quanto magis Princeps  
præ aliis Hominibus atque Christianis facultatibus ad  
id pollet; hoc si omittat, saine neque Hominis neque Chri-  
stiani officium implevisse censendum est. Idem agere hic  
nobis videtur Dissentientes, ac si de homine loquentes e-  
undem nunquam considerare vellent, quatenus consistit ex  
anima & corpore simul, sed si mox animam separatim vel-  
lent spectare, mox vero corpus; ita vero nemini hominum  
neque visus, neque auditus, neque gustus, neque olfactus,  
neque tactus competent, nam omnia haec neque in solum  
corpus cadunt, neque in solam animam, bene vero in cor-  
pus animæ iunctum; sic etiam, quæ Principi qua tali non in-  
cumberent, incumbent tamen omnino qua simul homini &  
Christiano. Contrarium vero pugnare & cum ratione & cum  
revelatione mox probabimus.

§. 12. Scilicet concedunt Dissentientes, intendisse Deum  
in creatione humani generis eius felicitatem; iam vero, si  
hanc intendit, non potuit non eam intendere semper, ubi-  
que, quovis modo & utramque, internam &que ac externam,  
idque eo magis, quo magis externa hominis felicitas promo-  
vetur per aeternam, quoque magis boni homines, cives, pa-  
tronum salu-  
tis familiæ & subditi efficiuntur, quibus salus aeterna non in-  
tem ater-  
ore & calamo tantum est, sed eriam in mente & corde, per  
consequens intendit etiam Deus T. O. M. ut Principes utram-

(1) Conf. §. 28.

*Vultus De-  
us, ut Princ-  
eps promo-  
teat subdi-  
torum salu-  
tis aeternae  
nam.*

DISSERTATIO: DE OFFICIO PRINCIPIS

6 que felicitatem in tantum promoverent, in quantum media  
ipsorum se porrigit ad hunc finem obtainendum.

*Idem volueret homines.* §. 13. Idem quoque colligimus ex ipsa hominis natura: si enim homo studiosus est sua felicitatis, sive homines existimarent, eos solos sibi non sufficere pro hoc scopo obtinendo, sed Principe ad id opus esse; sane etiam in Principem omne id translusisse censendi sunt, quod quoconque modo facit ad felicitatem hominum aeternam promovendam, idque iterum eo magis, quo maior magisque durabilis est felicitas vita aeterna pra felicitate huius vita.

*Princeps etiam ratione invenientur.* §. 14. Porro, eti non ignoramus L. 7. s. de LL., Legis virtus est, imperare, vetare, permittere, punire, exinde tamen nullo modo sequi arbitramur, ac si Princeps semper intendat obedientiam absque ratiocinio, potius & prudentiae & humanitatis & officiorum Christiani regulis convenire censemus, si Legi noviter conditae addatur adaequata ratio, ex quae subditi possint cognoscere, necessariam, saltem utilem, esse Legem, ut eo facilius sua Legi colla subdant, eaque, qua sunt sui officii, adimpleant. Innumeris haec thesis nostra exemplis Legislatorum prisci & moderni temporis, Leges circa Sacra atque Civilia ferentium, nititur, quos omnes vel ignorantiae vel confusioneis officiorum Doctoris atque Principis arguere superciliosi admodum & in Solipsorum Monarchiam relegandi hominis indicium esser.

*Non solum timorem.* §. 15. Solum ergo timorem non intendunt nisi Caligula metuant; rectius vero sensit Augustissimus Imperator Josephus, qui Symbolo usus est: Amore & Timore, atque ita deum Deum, cuius imaginem gerunt Imperantes, representant & ad eius Regiminis longe perfectissimi regulam se componunt, si prius lenibus utantur mediis, his autem non sufficientibus, tunc demum acrioribus & si operam dent, ut intellectum Subditorum prius in suam pertrahant sententiam, quam voluntatem.

*Principi.* §. 16. Denique nec ea, quæ de Mediis Principi competunt, differunt, nobis probantur, sed admodum manca aliisque videntur; nonne enim Principi Praemia quoque suppeditunt, iis

CIRCA RELIGIONEM ETC. SUBDITORUM.

Bonū solum largienda, qui Juri positivo morem gerunt, verum & illis, qui officia sua Jure Divino aut alias debita p̄x alii implent? nonne in Principiis facultate sunt alia Media, Subditas, neque per modum Legis neque per modum Pœnæ propo- nenda, quibus si ex arbitrio libero utuntur, intellectus eorum æque illustratur, ac voluntas flectitur, e. g. institutio Scholarum aliarumque occasionum, ubi ingenia formantur? Et sic ratiociniis ipsis quoque uti Principes iam diximus; Conferantur ex antiquis Legibus Novella Justiniani, ex recentioribus integræ Centuriæ Legum Potentissimi Regis nostri in diversis editæ.

§. 17. Si ergo non solis pœnis ac legibus Princeps utitur, sed & ratiocinatur, sique Principi media suppetunt, quibus intellectus hominis potest excoli adeoque hominum felicitas, in quantum ea ex intellectu pendet, promoveri, non quidem imperio Principis subjicitur intellectus, neque opus est circa ipsum pœnis, legibus & coactione, officia tamen dantur Principis circa illum ipsum.

§. 18. Hisce vero præsuppositis apparet, posse omnino in una persona conjuncta quoque esse officia Doctoris atque Principis, cum respectu finis non differant, sed unum eundemq; scopum præfixum habeant, fatentibus ipsis Dissidentibus, felicitatem scilicet hominum; si vero inter hanc felicitatem velint distinguere, aut falsum erit, quod tamen ipsi tradunt, unum ipsis esse scopum, aut uterque, & Princeps & Doctor, curam habebit felicitatis cum externæ, tum internæ, hujus & illius vitæ. Nec est, quod Papismum, Phariseismum, Papocrasiam, Monachismum &c. timeas; originem enim hæc debent confusione officiorum atque mediorum totali, non coniunctioni officiorum, vel praxi mediorum & Principi & Doctori communium. Nos Professores ipsimet agimus Circulum Reipublicæ nostræ Doctores felicitatis humanæ externæ, internæ, æternæ, eodemque tempore iidem agimus Reatores ejusdem Reipublicæ Scholastica; ibi utimur ratiociniis, amore, exemplo &c. hic iterum ratiociniis, iunctis tamen legibus atque pœnis; annon vero hæc probe convenient? Iam autem à Principe in hoc tertio solum differimus ut manus & minus, quæ vero naturam rei non mutant.

§. 19.



B

DISSERTATIO: DE OFFICIO PRINCIPIS

*Ergo Reli.* §. 19. Generalibus hisce præmissis adeo facilis est responsio ad ea, quæ Religionem proprius tangunt, ut potissimum parsum officii nostri in eo confistere censeamus, monstrare consenbabere de sum ipsorum Principum. Breviter ergo tantum replicamus, inbet Prin- vertendo argumenta: quia Princeps ex intentione Dei & Ho- ceptis. minum curare deberet salutem subditorum æternam & ut eorum intellectus iustas sibi de hac vera felicitate conceptus formet, iis quoque principiis imbuatur, per quarum praxin contendi licet ad hanc ipsam felicitatem, ideo Principi incumbit utique cura huius salutis.

*Recte liber.* §. 20. Porro non solum ipsa facultas eligendi, quomodo gas circa quave professione quis sustentationem huius vite sibi parare Religionem suamque hanc terrenam felicitatem promovere queat, Legi circumscripta est; quis enim dicebitur, licere, cuicunque lubet, cerevisiam coquere, caponari, mercaturam vel opificia in pagis exercere, metallia fodere, &c. fatendum potius est, omnia hæc ad certas dominas, loca, personas &c. esse restricta; sed & electo quodam vi genere ubilibet iterum Leges adfunt, in Rebus publicis bene ordinatis tantum non omnibus vitæ generibus præscriptæ, ad quas se componere debent & tyrones & magistri, quæ Leges in specie quoad tyrones occupantur præcipue circa intellectum eorum, atque normam dant, qua ratione is formari debet ita, ut hi tyrones aliquando revera & felicitatem propria & bonum publicum per hoc ipsum vitæ genus promovere queant. Iam si circa hæc sollicitum esse oportet Principem, multo magis ipsi incumbit, Legibus latis cavere, ne dum Subditi Religionem vel plane negligunt, vel spurious sibi de ea conceptus formant, & singulorum æterna felicitas & scopus Societatis Ecclesiasticæ, cuius Præsidium gerit Princeps, impediatur. Atque adeo non sunt opposita, de se ipso rationem Deo reddere & Legibus à Principe circa Religionem latis parere, ut potius de hoc quoque Deo Subditi gravissimas reddituri sint rationes, si Leges circa Religionem & salutem æternam latus propria sua culpa reddant minus efficaces, aut profus frustaneas.

§. 21.

CIRCA RELIGIONEM ETC. SUBDITORUM.

§. 21. Quantum denique ad media pervenienti ad felicitatem veram atque **Principes** eternam attinet, alia nobis in §. Scriptura traduntur, scilicet Justificatio per **babet mediis** vivam fidem in Christum & Sanctificatio, interim de his quoque verum qui **promovendis** elem est, quod ea neque legibus neque penis subjaceant; verum autem & hoc **Salutem** <sup>a.</sup> est, plura principia esse media, tantum in intellectum humani influxum habent. **ternam Sub-**  
ita, ut cum non vi, sed sponte, in suas partes trahant. Ex. gr. Principis est, **ditorum,** constitutae Doctores, dirigere Societatem Ecclesiasticam, permettere, protegere, præmia laigiri &c. iam si Doctores constitutae vere piis, quorum intellectus Divina luce perfusus est, quorum voluntas a sola voluntate Divina penderet, qui primi in exercitium deducunt id, quod alios docent, qui insatiabili effetu, Regnum Dei plantandi in cordibus hominum, reguntur, qui non sufficiere existimant, publice e suggestu verba ad populum facere, sed & domi querunt eos, qui vel sacra publica flocci habent, vel informatione speciâliori indigent, qui animas, non crumenas, hominum anhelant &c. Doctorum eiusmodi medio, experientia teste, plures & plurimi homini redduntur vere pii adeoque **atæmæ** felicitates capaces; porro si Princeps in id incumbat sedulo, ut regimen Ecclesiasticum, cultus publicus atque privatus, docendi denique ratio &c. quam proxime accedant ad scopum Societatis Ecclesiasticae proximum, qui vero non est aliud, quam alterna hominum felicitas, iterum hæc ipsa felicitas infligitur promovere; idem dicendum est, si Princeps iis, quibus animæ suæ cura est, permittat ea, quæ sibi conducere pio salvanda ea existimant, Divinisque non contrariantur literis, si piis protegat, foveat, commendet &c. impios coercet inque tales terminos redigat, ut faltem nocere nequeant & quæ sunt huius generis alia.

§. 22. Ultimum, quod assertur, argumentum omnium maximam præ se **Nibil ab-**  
ferre videatur speciem; at 1. eodem modo ad id respondere possumus, quo u-  
**sundi fiat ex**  
tuntur Dissidentes in decisione Questionis: quid si Doctor vel ipse Princeps **hac sententia**  
recedant in stultitia? quid si tyrannide exerceat Princeps? quid si alio modo **tia.**  
scopum Reipublicarum & translati in Princepem dominii plane invertat?  
Tristis quidem omnino casus est, qui tamen regulam non subruit, neque ul-  
lam Religioni ipsi eiusdem veritatem inferat: fac enim, Princepem colere  
aut introducere exercitium Religionis, quam erroneam reputas, in promptu  
remedium est, migra & quare tibi locum, ubi ea, quam pro vera habes, Re-  
ligio permittitur, sic nulla conscientia tua vis inferatur, nullumque in illud im-  
perium exercetur. 2. Nimirum probat hoc argumentum, quia procederet con-  
tra Sacras Literas, ceu paulo post apparebit. 3. Non peccarunt Imperatores ethi-  
cari in eo, quod studiosi fuerunt propaganda Religionis, sed quod falsam pro-  
pagarunt spuriisque procedendi modo usi sunt.

§. 23. Et haec sufficiente quadam Ius Naturæ; accedimus iam ad Ius Divinum **Firmatur**  
& primo quidem Veteris Testamenti. Ibi vero 1. habetur Esæ. 49, 23, non tam **bac ex Jure**  
præcepum, quam prophetia & promissio: „Erunt Reges nutriti tui“, quod dicitur **Dibino Texit**  
etiam, quomvis plus in recessu habeat, quam id, de quo nos agimus, tamen  
omnino commode hoc referunt (1), neque nos movet recentiorum querun-  
dam

(1) vid. §. 27.

## 10 DISSERTATIO DE OFFICIO PRINCIPIS

dam Igitur responsio: solum Christum esse Nutricium Ecclesiae. Hæc enim non sunt opposita, sed subordinata. Sic etiam solus Christus est Pastor Ecclesie sua. Idem tamen Ipse met homines constituit Pastores; solus S. Spiritus nos dicit in omnem veritatem; eundem tamen in finem Doctores quoque a Santissimo Salvatore ordinati sunt.

*S. Exempla veteris* §. 24. Porro nostra sunt exempla Iosæ 2. Reg. 23, 3. &c 2. Chron. 34, 31. Aff. 2. Chron. 15, 12. - 15. Ioiadæ denique 2. Chron. 23, 16. fœdus inter Deum populumque pangentium de requiringo Jehova ex toto corde & ex totum animo ad eo, ut quisquis non requiritur esset Jehova, Deum Israëlis, morte afficiendus esset, sive parvus, sive magnus, sive vir, sive foemina. Fructu vero hic obserjatur: a Regibus Israëlis non licere argumentari ad Reges nostri temporis; quasi vero: nonne hunc quoque in finem Libros veteris Testamenti nobis propositus Deus T. O. M. ut exemplo nobis sine ea, qua de motibus Deo probatis acque in novo Testamento abrogatis ibi deprehendimus.

*aque Nobis Testamenti* §. 25. In Novo vero Fœdere non equidem specialis quædam dispositio deprehenditur de officio Principis circa Religionem, sed nec ea opus est, quia prima Religionis Christianæ principia secum venhunt, quod omnis homo de fato proxim debet esse sollicitus & impossibile est, Principem esse posse verum Christianum, neque tamen curam gerere salutis æternæ Subditorum, Cœduni Dissidentes, cuiilibet hominum incumbere curam salutis suæ æternæ; ipsos, ergo etiam studiosi esse æternæ eius salutis: quinam vero Principi qua tali proximi sunt, nisi ciuidem Subditii?

*Firmatur denique Prae-  
xi & Confes-  
sione prisco-  
rum Impera-  
torum,* §. 26. Addimus denique tertio loco argumentis hactenus propositis ipsam Principem Christianorum confessionem, quamvis ex longe plurimis ob penitentiis chartæ unam alteramve tantum producere quacumus. Ita vero e. g. Lib. 1. Tit. 1. Codicis Iustiniæ agitur de summa Trinitate & fide Catholica, in cuius L. 3. pr. Imperatores Theodosius & Valentinianus: „Decreto, aiunt, „arbitrari „mur nostrum Imperium, Subditos Nostros de Religione communis facere: (ecce Doctorem!) „Ita enim & pleniori adquiri Dei ac Salvatoris Nostræ Iesu Christi, „si benignè tam possibile esse existimamus, si quando & Nos pro viribus ipsorum Doctorem!“)

*ex recentiori-  
bus ero  
temporibus  
confessione  
Principum  
Evangelico-  
Reformato-  
rum,* §. 27. Ex recentioribus temporibus audiamus serenissimos harum Terrarum moderatores Religioni Evangelico-Reformatae addictos, Ita vero Ser Elector Ioannis Sigismundus in Confessione Fidei: Nachdem: „Herr Johann Sigismund, Marggraf zu Brandenburg, bey Sich gnädigst erwogen, daß unter allen Fürstlichen Considerationen und Gedancken freilich die allererste und nothwendigste sey, weil doch Gott der Allmächtige die Könige zu Pflegern und die Fürsten zu Seugammen seiner lieben Kirchen verordnet, mit allern Ernst darob zu seyn und dahin zu trachten, damit das reine klare Wort Gottes allein aus dem Brunnen Israelis, ohne alle Menschliche Satzung, ohne allen Sauerteig falscher irriger Lehre, ohn allen Zusatz und Abbruch, in Kirchen und Schulen möge gelehret und gepredigt; die heiligen Sacramenta auch

auch nach der Einsetzung des Herrn Christi, ohne alle Papistische superstition und abgöttrische, oder von menschlicher Andacht erdichtete Ceremonien, ausgeschändet und also der wahre Gottes-Dienst recht und wohl allein nach Form und Norm der göttlichen heiligen Schrift, möge bestellt und auf die liebe Postvertät gebracht werden. Und über das Sc. Churkäfist. Gn bey sich gnädigst betrachtet, wie der milde und barmherzige Gott, welcher allein Gewalt hat über der Menschen Königreiche und giebt sie nem er will; Sc. Churkäfist. Gnaden so viel Fürstenthümer, Land und Leute untergeben; und in solzer Ruhe, wie die Schrift redet, bisanhero väterlich erhalten; damit dieselbe vor allen Dingen, nebens dem zeitlichen Schutz, auch die Geistlichen Güter und Schätze durch das gepredigte reine Wort Gottes und rechten selenigen Brauch der heiligen Sacramenten zu ihrer Seeligkeit erlangen und behalten mögen: sc. Sie quoque Rex Noster Potentissimus in der erneuert. u. erweit. Verordn. über das Kirch. u. Schul-wesen d. d. 1735. 6. Jul. Folgen biemit jeder männlich zu wissen: wie Uns zwar zum allernädigsten Gefallen gereichert, daß an einigen Orten Unser Koenigreiches und Landen den heilsamen Verordnungen, welche der *Interimorum* wegen in Kirchen und Schulen theils von Uns Selbst, theils von Unserm höchstliegenden Herrn Vater und Groß-Vater glorwürdigsten Kindern zur Erbau- und Erweiterung des Reiches Christi in Unsern Landen ergangen und publiciert worden; als legerhorjamst nachgelebet wird: Wann aber Unser Landes Väterliche Sorgfalt hauptsächlich dahin gerichtet bleibt, daß die Erklärniß und Furcht Gottes von Jugend auf Unsern Unterrthanen eingepflanzt und in Unsern Landen allenhalben und bey Jedermann mehr und mehr geprägt und ausgebreitet werde: sc.

§. 28. Ex Evangelico-Lutheranis prodeat serenissimus Christophorus, Würtembergiae Dux, qui in der Landes-Ordn. Tit. 1. Von Gottes Wort und Predigten zu hören inter alia ait: So haben wir hierauf als ein Christlicher Fürst und damit Unser Gott befohlene Unterrhanen durch Unserne verordnete Psarrer, Prediger und Kirchen-Diener mit Fleiß zu dem Gottes-Wort und desselbigen Ehre gezogen, und ihrer Seelen Heil auch Seeligkeit gefordert werden möchten; nachfolgende Ordnung fürgenommen. In primis vero quadam huc Verba illi. Comitis Henrici II. Rutheni, Linea Senioris, in der Verordnung von Beschaffenheit / wie auch Amt und Pflicht derer Prediger, Schuldiener und Hans-Vater d. d. 1720. 29. Febr. ibi: Nachdem die allgemeine Christen-Pflicht / eccce Principem & Christianum unitum, non divisum, Kraft deren ein jeder alle sein Vermögen dahin anzuwendend schuldig ist, daß das Reich Christi ausgebrettert und des Satans Reich zerstört werde, auch uns verbinder aus wohlmeinender Liebe dahin zu sorgen, daß Unserne Unterrhanen zu wahrer Erkenntniß ihrer selbst und Gottes gebracht und also zeitlich und ewig glückselig gemacht werden mögen; so haben wir, nach reisser Überlegung und mit Zugleichung unsers Ministerii, nachfolgende Ordnung aufzusetzen und im Namen Gottes drucken und publicieren lassen, das mit Lehrer und Zuhörer sich darnach richten, diese letztere eine Anleitung, wie sie sich und die Thirzen zu Hanze erbauen sollen; daran haben, jene aber

*Evangelico-  
Lutherano-  
rum.*

12 DISS. DE OFFIC. PRINC. CIRCA RELIGIONEM ETC.

wolßen mögen, wie sie sollen beschaffen seyn; wenn sie das Amt eines Seelen-  
Hirten in Unserm Lande verwalten wollen ic.

*S. Romano-  
Catholico-  
rum.*

§. 29. Polcis denique Catholicorum quoque Confessionem? Et hoc adest,  
ita enim in Tractatibus super Pace religiosa integrum Corpus Catholicorum apud LEHMANNUM (1): Ein Landes-Fürst, Regent und Obrigkeit wären von  
Gott gesetzte Schäger und Bevörter der Christlichen Religion und Gottes-  
dienstes, deren Obrigkeitlichem Amt, die Unterthanen bey der uhraltan Cath-  
olischen Religion handzuhaben, eingebunden und wie sie denen; so ihrer  
Unterthanen Nahrung Eingriff und Abtrag zuzufügen unterstehen, ihr fre-  
quentisches Fürnehmen ins Werk zu stellen nicht verstatzen sollen; desto mehr  
wären sie zu hindern und zu wenden schuldig, daß die Unterthanen nicht frem-  
der Religion, die ihnen an der Seeligkeit schädlich, befallen und folgen.  
Sic quoque Maximilianus, Bavariae Dux, in Proclamatio Constitutionum Provin-  
cialium ex hypothesi sua ait: Das Wir zu Gemuth geführt und bey Uns reiss-  
lich erwogen, daß Unser von Gott tragendes Landesfürstliches Amt und Bes-  
itz fürenehmlich in dem bestehet, damit in Unsern Fürstenthümern und Lan-  
den, nechst Beförderung der Ehre des Allerhöchsten und Handhabung Unserer  
uralten wahren allein seligmachenden Catholicischen Religion ic. Idem sen-  
tunt omnes omnium Religionum Principes, testibus Ordinationibus Provincia-  
libus, præterim Evangelicorum, ubi primo loco tanum non ubique confici-  
tur Titulus sive de Deo, sive de Verbo Divino, sive de studio Pietatis.

*Conscientia  
opinionis ad-  
serita.*

§. 30. Sane stante opinione Dissidentium non posset non exinde sequi,  
Principes nostros Evangelicos esse iniustissimos Invalores alienorum Jurium,  
Tyrannosque Conscientiarum, dum non circa externam solam Disciplinam  
Ecclesiasticam, sed & circa Interna, prout hac voce utitur Potestissimus noster,  
Leges condunt. In primis vero Beatorum nostrorum Reformatorum benedi-  
ctæ memorie ita indelebilis macula adspicunt & id, quod ipsi egerit in ho-  
norem Dei atque salutem æternam tot myriadum animalium, tanquam crimen,  
quo non maius reperitur, (utinam ipsi Dissidentium verbis,) traducitur.

*Conclusio.*

§. 31. Obsignamus has nostras Meditations verbis omnium Statuum Ev-  
angelicorum, qua in Scripto A. 1555. die 21. Jun. Imperatori exhibito depre-  
henduntur: zum 3. so ist kein unglaublicher Jude, Türk oder Heyd, welcher an-  
ders vernunft und einen geringen Esfer hat seiner Religion, er wolte, daß  
grale Menschen möchte zu sich ziehen und seiner Religion anhängig machen ic.  
wieviel mehr sollen wir, so rechte Christen seyn wollen, denen Gott der All-  
mächtige bei Verlierung ihrer Seelen Seeligkeit solches befohlen, aus Christi-  
licher Lieb des gesinner und genügt seyn. Hæc si vera sunt, quid de  
Religione Dissidentium tenendum sit, ipsi viderint.

(1) de Pas. Relig. Lib. 1. Cap. 23. p. m. 50.

NB. Dum hæc nostra sub prælo sudant, edocemur, Cap. Ach. BECKIUM  
de Principe Christiano æternæ Subditorum Salutis Curatore d. steruisse; libellum  
vero ipsum nondum inspicere licuit. monendum hoc esse dicimus, ne, si for-  
te iisdem argumentis uteremur, nos alieno vitulo arasse quis existimet.



... et illud modum. Unde dicitur  
Est ergo optime et melior  
modus. meique recordans  
quod expeditus in illo trahitur  
pergas.

Etiam ad modum vestrum  
mei Julianum.






67315

X2428117

VD 17







DISSERTATIO CIRCULARIS  
EX IURE NATURÆ, DIVINO ET ECCLESIASTICO  
DE  
**OFFICIO PRINCIPIS**  
CIRCA  
**RELIGIONEM**  
**ET SALUTEM ÆTERNAM**  
**SUBDITORUM,**  
**PRÆSIDE**  
**IOH. IACOBO MOSER,**

S. Regiæ Majestatis Porusicæ Consiliario intimo,  
Academie Directore & Professore Iuris primario

die 31. Maii

in Auditorio JCtorum

defendenda

a

MICHAELE CHRISTIANO BARNWASSER,  
Bütovia Pomerano.

---

FRANCOFURTI ad VIADRUM,  
Typis PHILIPPI SCHWARTZII, Acad. Reg. Typ.  
M DCC XXXVIII.